

gente dignitate Alchocoden in loco Hylech. Quicumq; enim planeta dignitatem habuerit in loco Hylech & eundem aspexerit, is dicitur Alchocoden, ubi semper praeferendus erit potior in utroq; aspectu scilicet & dignitate, si quando contigerit plures attestari.

Sol } cum fuerit Hylech, & fuerit in domicilio proprio, aut exaltatione, erit Hylech
Luna } & Alchocoden,

De annis Alchocoden & de augentibus & minuentibus.



Abitis itaq; Hylech & Alchocoden, operae precium est subiungere, quo pacto secundum communem illam opinionem Astrologorum, eliciendi sunt anni ipsius Alchocoden. Est ergo uniuersaliter sciendum, quod si dictus Alchocoden fuerit in angulo non impeditus dat annos suos maiores. In succedenti, mediocres, & in cadenti minores. Addunt autē & minuunt caeteri planetę pro configurationibus eorū ad Alchocoden bonis uel malis. Nam si Saturnus, Mars, Sol, Mercurius & Luna infortunati, Alchocoden quadrato uel oppositione inficiant, minuunt singuli annorum suorum minorum quantitatem. Bonis uerō aspectibus, Saturnus quidem & Mars nihil addunt, Sol uerō Mercurius & Luna fortunati, annos quos malo surripiebant aspectu, bono contribuunt. Iupiter autem & Venus quocunq; aspectu, addunt annos suos minores & hoc maxime, si non sunt male affecti. Sed & Caudam draconis infra 12 gradus circa Alchocoden, asserunt adijcere quartam annorum partem, quos Alchocoden per se praestiterit. Verum & hic non somniculose inspectandum fuerit, siquidem Alchocoden combustus, aut Solis radios iniens, uirtutem quam prius dandi habebat, ferē prorsus amittit. Nam ubi antea potis erat praebere annos, ita male affectus, annorum loco, dies, horasq; concedet.

Anni planetarum;

♄	57	43 $\frac{1}{2}$	30
♃	79	45 $\frac{1}{2}$	12
♂	66	40 $\frac{2}{2}$	15
☉	120	69 $\frac{1}{2}$	19
♀	82	45	8
♀	76	49	20
♁	108	66 $\frac{1}{2}$	25
	Maiores	Med.	Mino

Tabellam dictorum annorum hic statuere libuit, quo facilius intelligas distributionem uniuscuiusq; planetae, cuius supra fecimus mentionem. Sit exemplum propositae natiuitatis, Sol est huius Hylech, & Mars Alchocoden secundum utramq; opinionem, nam respiciunt se Trino cum receptione. Sed cum Mars sit in undecima domo in succedenti, in domicilio Solis, tribuit annos suos medios scilicet 40. Verū quia in Trino Solis est, addit Sol annos suos minores, scilicet 19, qui additi annis medijs Martis, scilicet 40 component annos 59 datum Alchocoden, &c.

Aliorum item de Alchocodeo sententia.

Alchocoden cum in optimis geniturae locis inuenitur, maxime in Decima, Prima, Undecima uel Quinta, in signo propriae naturae, Orientalis, Directus, a combustione